



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

III. Quibus contra eam remedijs vsa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

floruit. O Italia, sponsæ Dei asyllum, in qua illa rebus ubique perturbatis, magnitudinem & felicitatem suam invenit. Tu, inquam, sine qua omnis magnitudo nihil est, & sine qua ipsi felicitati deest felicitas. Italia, gloriosa provincia, quo Christus secessit postquam plerique omnes ab ipso recesserunt. Italia, felix terræ Paradisus, in qua femina illa cuius semini Deus jam olim vires conterendi caput serpentis promisit (quæ Ecclesia est, inferni, diaboli, & omnium ejus satellitum victrix) tandem vixit, dum interea totus Mûdus moritur ad sui damnationem, & in sua condemnatione. *Iam aperta per Lutherum stellam de celo lapsam, inferni cataraçta pestiferas evomebant aquas, omniaque vastantes, jam novum diluvium, & primo quidem illo sedius, toti terrarû orbi minabantur; jam venenati magna abyssi fontes aquas eructabant quæ sub Firmamento sunt (quas jam quidem cum Origene pro demonibus accipio) & Mundum universum desolabant:* quum ecce sacra hæc Arca, ab illa ipsa quæ cœlos formavit manu constructa & super solidâ illâ & inconcussâ promissionis magno illi Cephæ & successoribus ejus factæ petra fudata, portas suas ingredi ac salvare se cupientibus aperuit; hæresi vero nunquam in ea pedem posuit, omnem ad se aditum præclusit.

O Roma, terrarum miraculum, quæ infinita nobis indies miracula producis! quis non obstupescat, te non sine miraculo in tanta publicarum calamitatum quæ orbem terrarum inundaverant, colluvie, integram & incontaminatam videns? Roma, inquam, ubi Noe, id est, Ecclesiæ quies in medio confusionum diluvio, servata fuit. Roma, in qua velut in altera salutis Arca, tot felices animæ abdicata terra, ad cœlum aspirant; tot castitatis amatissimi homines, Noæ exemplo, à seminarum consortio se separant; in qua etiam ut in sacra illa Navi distinctæ fuerunt mansuetudinæ, certi dignitatum & officiorum sunt gradus. Stupidus profecto sit oportet, qui non in summam rapiatur admirationem, animadvertens Italiam ab hæresi undique velut obsessam, nec à Germania audacissimorum hæresiarcharum seminario procul distantem, tum ceteris fere nationibus omnibus hac peste laborantibus invisam, firmam tamen & constantem, ut sanctæ & immaculatæ caput decet Ecclesiæ, hætenus permanuisse, & omnes inferorum impetus fregisse; immo indies in certiore magis magisque spem erigi, hanc ei felicitatem fore perpetuam, Deo clementissime prohibente, ne visio illa Pii V. Pontificis, quam de Italia defectura aliquando ei objectam Thomas Morus scribit, unquam effectâ

fortiatur. Ad quam rem utilissime inducta est inquisitio adversus hæreticam prævitatem.

III. Quod si præter Dei benignitatem, qui Ecclesiæ suæ promisit & juravit portas inferorum numquam contra ipsam prævalituras, sed ipsam potius pulcherrimas de diabolis & omnibus hostibus victorias reportaturam, Si, inquam, alias quoque hujus felicitatis causas investigare lubet, non minimam ejus partem summorum Pontificum vigiliis & curæ adscribendam esse facile deprehendemus: Deo quoque hanc sanctis eorum laboribus mercedem retribuente. Ite homines invidia cæci, qui tantam gloriam non nisi limis ac sinistris oculis intuemini, ite, si placet, & Romam Luxuriæ officinam, infamiam terræ, vitiorum receptaculum, voluptatum matrem, custodem impietatis, idololatriæ speculum appellare, unde nihil nisi homicidia, perduelliones, usuræ, & carnales abominaciones procedant; Babylonem appellatione in sua confusione perditam, Ægyptum Cimmeriis obrutam tenebris, alteram Sodomam, omnia denique convicia congerite, omnes calumnias quascunque potestis, constringite, malitiam malitia, falsitatem falsitate, injurias injuriis cumulare: maxima nihilominus hæc urbs, quam *Solis civitatem* veteres Prophete nominarunt, cuius imperium ab Oriente ad Occidentem usque extenditur, & iisdem quibus solis cursus finibus terminatur, magnum hoc, inquam, Mundi theatrum, terrarum orbis domicilium, mater & matrix omnium Ecclesiarum, splendorem & pulchritudinem suam retinebit. Esto, vituperent eam perversi, quibus rosæ etiam & lilia male olent, damnent ac detestentur improbi; boni tamen omnesque tam veritatis quam virtutis studiosi, integritatem prædicant & prudentiam Gubernatorum, religiosorum austeritatem, devotionem populi, & ditissimorum civium vere Christianis dignam charitatem. *Qua fronte vos illam Luxuriæ officinam appellatis, quæ luxuriam non damnat tantum, verum etiam coeret, cui vos tanquam olentes hirci, immersi hæretis? Quid ni enim hætere vos dicam, qui Lutherum illum sequimini, qui magni facitis, ut Prophetam & Evangelistam & Eliam æstimatis, ex cuius unius ore plures sordes, turpitudinesque profuxerunt in vestrosmet typos Wittebergenses ac Jenenses, quam omnium Italiæ, qui à temporibus Apostolorum extiterunt millibus profuxerint. Ipsi typi vestri adversus vos testimonium dicunt. Quo igitur nisi mendacissimo ore, Terra-*

infamiam illam dicetis, quæ iam diu nihil gravius fert quam infames & sacrilegos raptus atque incestus Deo dicatarum virginum? An vitiorum receptaculum illam appellabitis, cuius sanctitas & perfectio quum mores vestros perferre non posset, vobis profugiendi causam dedit? Quomodo mater voluptatum diceretur, quam vos ideo fugitis quod à carnis voluptatibus ad castitatem & continentiam invitet? An illa custos sit impietatis, quæ ipsa est pietas, & qua nihil est religiosius, ut Sancta ab omnibus præter quæ vobis, appelletur! Speculumne idololatriæ audiet, quæ torquentes & nationes ab idolorum cultu ad Christianam religionem adduxit? & nunc per utramque Indiam adducere indies non desinit. An Babylonem dicetis, in qua vix quidquam admirabilius est quam decentissimus omnium rerum ordo, ac continua Episcoporum successio, qui omnibus omnium temporum sectis fuere formidabiles, & quos etiam illæ non minus universæ oderunt, quam singulæ inter se inimicæ sunt. Quibus Tertullianus etiam hodie, quod olim ipsarum similibus, exprobrat, non posse eostam continuam Episcoporum ordinem & successionem ostendere: quo sane vel authentico & irrefragabili argumento Pontificum ostenditur auctoritas. Sed quo jure Ægyptum appellabunt, & quidem tenebrosam, eam quæ gratiæ lumen ad plerisque populos sparsit, quæque instar Phari est, ad quam omnes hæreseon agitati fluctibus navim suam, tamquam ad salutis portum, dirigant necesse est: in qua etiam Pontifex velut alter Moyses à Deo constitutus est, qui potenti virga Christianos regeret: quæ ille tot tamque mirabilia fecit, & nos per medium Mare rubrum in terram promissionis deducit; non Pharaon aliquis tyrannus, sed, ut S. Bernardus ait, [a] magnus Sacerdos, summus Pontifex, heres Apostolorum, primus ut Abel, gubernator generalis ut Noe, Patriarcha ut Abraham, ordine Melchisedech, auctoritate Moyses, Samuel iustitia, Episcopatu Petrus, & unitione Iesus Christus. An Sodomam dicent, cui Deus perpetuam & nunquam defecturam gratiam promissit: eam quæ sita est super ea petra, non quam olim augur quidam in Capitolio monstravit, exclamans, Romam prius non interituram quam saxum illud esset sublatum? sed super Fide S. Petri, pro qua D. N. & Salvator ipse Patrem oravit, ne unquam deficeret. [b]

IV. Quin potius oculos illi conjiciunt in populorum non minus perditorum vitia, non considerantes quam sæpe illi puniti sint. Peccatorem qui

in peccatum labitur & penitentiam agit, justinemen propterea non perdere Hieronymus inquit. Sic Roma, quamvis ejus incolæ Deum, ut cæteri quoque mortales, offendant, non propterea tamen non Sancta dici debet. Videamus quam multi sancti homines, qui in S. Petri cathedra sederunt, excommunicationibus aliisque remediis ovile suum, non sine maximis curis & laboribus purgare conati sint. Legantur Acta Adriani VI. Pii V. Sixti V. Clementis VIII. Quos illi labores non exhauserunt, ut omne id quod à se damnatum fuerat, exterminaretur! præsertim quum tandem animadvertissent, ipsa medicina morbos seu mala exasperari; non aliter quam in magnis sit ulceribus, per quæ mali & purulenti humores evacuantur: quibus consolidatis, illis alio defluentibus, totum sæpe corpus corrumpitur, & pro uno ulcere multa in partibus antea sanis enascuntur. Unum est, in quo secundum oculum humanum sibi videntur censes illi, qui se Reformatores vocant, pedem firmum accusando figere posse, nempe permissionem Malorum quorundam, uti sunt Ecclesiasticarum quarundam personarum vitia, & defectus quas illi mirabiles zelotæ, nescientes cuius sint Spiritus, confestim volunt de cælis igne devocato, tanquam Samaritas, vel Sodomitas, exuri. Hoc cum non confestim pro suo fatui iudicii conceptu fieri conspiciunt, confestim murum Pharisæicum repetitur adversus Pontifices, adversus Episcopos; Hic peccatores recipit, & manducat cum eis. Audio Novos Novatianos, Novos Tertullianos, Novos tales, qui non vident mantiræ quod in tergo est. Tecum habita, ajebat prudens ille inter gentiles, ut novis quam sit tibi curta supellex. Censere facile omnia possumus, emendare non item. Judæi permittuntur habitare in ditione Episcopi Romani vel alterius, & hoc te Lutherane urit. Lupanar alicubi non incenditur, hoc calumniaris, & tu domi tuæ sentinam, & cloacam, & Sterquilinum te habere, & tolerare, imo extruere non damnas? Vide quæso, si æquis es; In bene constitutis civitatibus leprosi à sanis separantur, insani & mente capti includuntur ergastulis, domus etiam sunt peste infectis destinatae, ne serpat contagio, aliaque nosocomia. Immo ipsa quoque ganea seu lupanaria eum in finem in populosis civitatibus feruntur, ut sentina illa eo defluente, reliqui à morte animæ custodiantur; quod

[a] Ad PP. Eugenium & quotquot Controversias hujus temporis de Pontifice ediderunt ut Bellarminus, Becanus, Coturius, Forerius &c. [b] Luc. 22. 32.